



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Enarrationes Novae D. Martini Lutheri in Ionam Prophetam

Jonas, Justus

Haganoæ

Cap. II.

urn:nbn:de:hbz:466:1-36521

nocent Hebraei, supra dictum est, nempe uerum cultum Dei. Verus enim cultus Dei est, Deum uere timere & uenerari: sic hi homines etiam timuerunt Deum, id est, sunt facti serui Dei & iusti.

CAP. II

Et orauit Ionas ad Dominum Deum suū de uentre ceti, & dixit.

Hoc non est sic accipiendū, quasi hunc Psalmum Ionas labijs & ore cecinerit, aut sic uersibus in uentre ceti luserit. Neque enim tam trāquilla aut serena mente, in tam horribili tentatione mortis fuit Ionas, ut tunc potuerit tam elegans carmen condere. Sed hoc carmine postea Ionas suas illas angustias & affectus descripsit, cuiusmodi horrendarū cogitationum spectris cor suū tunc quassatum sit, cum sic in hoc tanto mortis agone luctaretur. Nam hic oportet introspicere animam eius, & interiorē illum Ionam intueri, ante quā liberaretur, cum adhuc in morte esset, & plane nihil quā mortem & terrores maximos sentiret. Neq; enim sciebat Ionas se redimendum esse, sed putauit iam esse moriendū, uere sensit omnes pauores mortis,

mortis, & indefinenter hoc momento moriebatur.
 Postea autem cum iam redemptus esset & rediui-
 uus, reuolente belua, rediisset, tunc retro respici-
 ens, recordatus priores angustias, hunc Psalmũ in-
 scriptis reliquit, ut gratias ageret ex corde Deo, et
 omnibus relinqueret exemplũ. Hic nũc adsint qui-
 dam curiosi, qui sciscitari solent, quid mortui rerũ
 gerant. Optant quidã didicisse se uel audisse ex La-
 zaro, quid senserit, quid egerit, quid uiderit, quid
 cognorit cum quatrduo mortuus. Quid etiam alij
 mortui quos Christus & Apostoli resuscitarint, e-
 gerint. Et audent quidam inepti de his rebus pro-
 nunciare quomodo terribiles imagines uiderint, et
 sic ut postea nunquã uisi sint leto esse animo. Alij
 stant cõtenti dicto illo, Sapientiæ secundo cap. Non
 est qui agnitus sit reuersus ab inferis, qui nuncia-
 rit quid ibi geratur. Ego de Lazaro & alijs mor-
 tuis nihil disseram noui, sequar scripturam quæ di-
 cit mortuos dormire. Ego enim puto eos sic ineffa-
 bili, & miro quodam somno esse consopitos, ut ni-
 nus sentiãt aut uideant, quã hi qui aliãs dormiũt.
 Et cum excitantur, nescient ubi fuerint, aut quo-
 modo sic repente renati sint. Ionans autem hic, &
 similes mortuos excutiamus, qui nondum sic dormi-
 unt, & tamen suo quodam modo altissime in morte
 impliciti sunt, qui mortis pauores & inferni duras

te corporali uita experti sunt, & tamen si illorum sensum, non iudicium nostræ rationis respiciamus, planè exanimis & satis mortui fuerunt. Illi inquit, mortui, Ionas, Dauid, & similes tentati, ueritate uere prodent nobis, & curiositatem nobis adimerent, uereq; (præsertim si similia experiamur) ostendent, quid post hanc uitam passuri sint, qui sub ira Dei manebunt.

Clamaui in tribulatione mea ad Dominum, & exaudiuit me, de uentre inferni clamaui, & exaudisti uocem meam.

Primum magnifice prædicat gratiam & misericordiam Dei, quòd eum ex tali & tanta necessitate ac morte eripuerit, proinde proponit nobis primum amplitudinem bonitatis & gratie Dei, deinde afflictionem ex qua ereptus sit, & docet nos hic primus uersus duas egregias & ualde utiles doctrinas. Primum, ut in omni afflictione ante omnia curamus & cito clamemus ad Deum. Neq; conuenire se potest diuina bonitas, quin respiciat afflictos & laborantes. Neq; enim fieri potest, ut Deus non clamenter exaudiat eos qui clamant, ut optimus pater non exaudiat filios, qui in necessitatibus ipsum inuocant.

cant. Disce ergo, disce inquam, quid uel maxime uti
 le sit afflictis, disce totam salutē afflictorum in hoc
 sitam esse, ne silcant, sed cito freti bonitate patris,
 multā ad coelum clamēt. Quantūuis igitur
 tur premat & in terrā deprimat & opprimat ten-
 tatio, sis memor exempli, obnitere pusillanimitati,
 leua caput, tende supplices manus, audeto, audeto
 clamare, Deus meus, Domine mi, Pater: mox ut cla-
 maris, & ausus fueris, ne dubita, aspirabit aurula re-
 frigerij. Nam ne infernus quidem infernus esset, aut
 illa sempiternae desperationis tenebrae tenebrae es-
 sent, si ulla uox, ullum sybilum ibi aedi posset inuo-
 cationis Dei. Quod enim diu flere uelis, rugire et
 eiulare, aut diu circumspicere unde possit humano
 more peti auxilium, frustra angeris. Non sic emer-
 ges, non sic eluctaberis, sed magis immerges te ma-
 lis. Disce hic à Iona, ille etiam diu conflictatus est
 cum tentatione & malis suis, antequam os tandem
 aperiens, clamaret, quemadmodum in cantico ipse
 dicit aliàs, iam dudum esset redemptus. Ideo & in
 sua oratione non eo ordine procedit, nec uult ut se-
 imiteris: mox primo loco in ipso exordio, Clama-
 ui ad Dominū, inquit. At dici nequit, quā hoc sit
 difficile, & omnino per omnia arduū, tunc uel hi-
 scere aut clamare ad Deum, cum cor angustia op-
 pressum pauet. Plorare, eiulare, miseros gemitus.

& singultus adere, trepidare, et desperare, & ma-
 liebriter frangi tunc cuius est facilimū, sed ad in-
 uocationem planē tunc obmutescimus. Nam ibi in-
 xime incumbit nobis, & quasi ad terram deprimi-
 ceruicem, uere urens & intolerabilis sarcina con-
 scientiæ & peccati: accedit adhuc acerrimus et
 acerbissimus sensus iræ Dei. Hoc tantum & tam gra-
 ue pondus est, ut cœlo et terra grauius sit, & quā-
 uis Athlāntem oppressurum uideatur. In summa
 supra uires rationis humanæ est, ac hominibus im-
 pijs, & naturæ planē impossibile, contra tale pondus
 se erigere, illumq; inuocare Deum, quem se
 iratum, & non aliō confugere. Quemadmodum
 Esaias conqueritur, quōd populus non conuertatur
 ad percutientem se. Secundum naturam autem
 affecti sumus, ut potius tunc longē fugiamus Deum
 iratū & nos flagellantē, quā ut ipsum inuocemus.
 Tempore afflictionis igitur, ratio semper alibi qua-
 rit consolationem & auxiliū, atq; illum Deū auer-
 satur & exhorrescit. Sic fit ut impij fugiant Deum
 sempiterna trepidatione & pauore, & tamen non
 effugiant, sic sub ira Dei, morte, & inferni terre-
 ribus perpetuo constricti, pereunt. Et hic uides
 nam partem poenarum inferni, quid patietur impij
 post hanc uitam, nempe quōd misere fugientes
 Dei, nunquā effugient, & tamen inuocare nō po-
 terint.

terint. Contra dicit Esaias, cap. 28. Qui in lapidem
angulari Christum crediderit, non festinet, non fu-
giet, quasi diceret Esaias: omnes impij fugiūt Deū,
& iram eius, & tamē non possunt effugere, à qua
misera trepidatione & horribili pauore nos libera-
mur per Christum. Non potest ratio humana in ten-
tatione aliter affici aut iudicare, quàm secundū sen-
sum. Cum igitur uehementissime sentiat iram Dei,
non aliter etiam est affecta de Deo, quàm de crude-
lissimo tyranno, neq; potest per has nebulas iræ di-
uinae perrumpere, & contra spem in spem crede-
re, contra Deum ad Deum festinare, ipsumq; confi-
denter inuocare. Ideo cum Ionas eò euaserat ut in-
uocaret, iam uicerat. Eius exempli uidesis memor
& in tentatione idem facito. Noli demittere caput,
noli fugere & despondere animum, sed sile Deo,
& erige te, excitator ibi & alacrior sis teipso, &
experire uerū esse uersum hunc, Clamaui ad Do-
minū &c. & respondit mihi. Ad Dominū (audin?)
ad Dominū inquam, et caue aliorum te rapiat mœ-
sticia, ad illum ipsum qui irascitur, qui percutit con-
fidenter accurre, & nullū alium. Hoc autē respon-
dere Dei, nihil aliud est, nisi quod cito senties, tunc
refrigerium, mitigatam iram & pœnam, ne dubita,
ipse aderit, ipse respondebit, modo tu inclames, &
uide quid dicam, tantum inquam inclames. Neque

enim Deus moratur tua merita, sed bene nouit te
 se peccatorem, & iram pro merito, aliàs non cas-
 tigaret. At ibi natura & ratio iterum est sui simi-
 lis, semper uult asserre merita, quibus placetur De-
 us, & tamen nihil inuenit. Neq; credit, neq; scit so-
 lam inuocationem satis esse ad placandam iram Dei,
 quemadmodum exemplum Ionæ nos hic docet. Hoc
 aut uitium omnis homo cōtraxit ex Adam, rebus se-
 cundis quando non irascitur Deus, neq; castigat, ni-
 hil est homine arrogantius, superbius, & securius.
 Ibi nullæ horrendæ minæ, nulla exēpla iræ nos mo-
 uent, sed planè contemnimus Verbum Dei. Econ-
 tra cum Deus castigat, sic frangimur, sic obstupe-
 scimus, sic tremur, ut nullæ promissiones, nulla be-
 neficia, nulla exempla gratiæ nos consolari aut eri-
 gere possint. Sic quomodocūq; agat nobiscū Deus,
 miseri & infirmi sumus. Ecce exemplum nostri sa-
 culi, quàm petulanter, quàm insolenter læti & ere-
 cti, nuper tempore seditionis uolabāt Rustici: econ-
 tra quàm muliebriter trepidabant quidam magni
 Heroës, hi nulla poterant erigi consolatione, illi
 nullis reprimi minis. Iam contra nullū superbis,
 & seuitiæ modum uidemus apud Magnates, nec il-
 lis minis mouentur donec iterum sentiant iram Dei,
 ut uerum sit hoc Poëtæ in omnibus hominibus, Na-
 turam expellas furca tamen usq; recurreret.

Secundo

Secundo hic docemur, sic clamādum esse ut cor certo statuatur se non in uentū clamare, sed se à Deo respici & exaudiri, ut possimus cum Iona confidenter dicere, Dominus respondit mihi. Sic autem clamare nihil aliud est, quàm constanti fide & erecta Deum inuocare. Neq; enim leuare caput, uocē, aut manus tendere poterimus, nisi primum cor erectū sit. Quod sic erigitur & leuatur (ut dixi) quando auxiliante spiritu, infirmitati nostræ contra spem speramus, & ad iratum Deum currere audemus, quando sub formis iræ gratiam, sub pœna & castigatione misericordiam quærimus. Hic nunc uides, non quosuis oculos cernere tam acutū, ut tunc cum ira & ultione (ut apparet) crudeli Dei undiq; circumdati & obruti sumus, posthabitis spectris & horribilibus imaginibus iræ possimus, sic tamen notas & scintillas agnoscere gratiæ, ut sic in corde possumus certo statuere, Deum bene uelle nobis, licet uehementissimum dolorem & pauorē uultus Dei in corde sentiamus, hoc est, nimirum sentire iram, quasi non sentiam, & niti gratia & fauore quæ tamen profundissime sint abscondita. Tanti cōstat Dei uoluntatem, & Deum uere cognoscere. Hinc Paulus omnibus suis epistolis ingerit, ut cognoscatis, quæ sit uoluntas Dei. Tanti est negocij, ut tempore afflictionis per horrendas & terrificas Ideas iræ

& indignationis, tanquam per spinetum densissi-
 mum, imò quasi medias acies, mediosq; per ignes
 perrumpamus. Oratio enim seria, & inuocatio in
 fide, quidam animi impetus est & motus, quo cor,
 quamuis in profundo sentit se pertingere ad Deum
 & exaudiri: quemadmodum Christus sensit uirtu-
 tem de se exiisse, cum mulierẽ sanguinis profusio
 liberauit. Neq; enim energia carent uerba & ope-
 ra spiritus, sed afficiunt & feriunt corda. Qui autẽ
 Battologia quadam in uentum orant, dubij an exau-
 diantur, hi nihil agunt, & est mera hypocrisis. Se-
 cunda pars huius uersus, idẽ est quod iam diximus:
 idem est enim clamare ad Dominum in tentatione,
 & responsum accipere, & clamare de uentre in-
 ferni, & exaudiri: repetitionem autem facit, ut eo
 certius sit, ut nos etiam eo constantius credamus ita
 fieri apud Deũ ut dicit. Scriptura enim habet hunc
 morẽ, ut unã rem bis repetat, ut eo certius sit quid
 uelit. Ideo & Ioseph, Gene. 41. duo somnia Phara-
 onis de una re interpretatur, ut eo certius & mi-
 nus sit dubium. Quod autem dicit de uentre infer-
 ni, intelligi uult uentrem ceti, & uocat eum uentre
 inferni: non quòd uenter ceti sit uenter inferni, sed
 ille immanis uenter beluæ, Ione fuit uice inferni,
 & Ionas ibi cruciatur inferni terroribus: ac si dice-
 ret, in uentre mortis, non quòd uenter piscis esset
 uenter

uenter mortis, sed q̄ Ionas ibi nihil senserit quàm
mortem. Neq; enim de pisce hic differit Ionas, sed
exprimere uult quomodo affectus fuerit in pisce,
quasi diceret Ionas, Ego uidebar mihi in ipsam in=
ferni abyssum projcti, cum immani beluæ rictus me
deuoraret: de uentre mei inferni, uel ex uentre il=
lo grãdi, qui meus erat infernus exaudisti me. Quid
autem sit infernus ante nouissimum diem, non sum
admodũ certus. Nam quòd certus locus sit, ubi dam=
natorum animæ incluse torqueantur, quemadmo=
dum pictores pingūt & fingunt, & concionatores
quidam contendunt, non ausim affirmare, nam dia=
boli nondum sunt in inferno, sed sicut Petrus ait, ad
eternam damnationem uinculis alligati. Et Paulus
eos mundi rectores, & potestates aëris uocat, &
Christus mundi principes. Non autem regerent in
mundo impios, nec sic luderent & illuderent mun=
do, nec tot damna darent, si certo loco incarcerati
torquerentur, æterni illi damnationis cruciatus nõ
sinerent eos sic esse ociosos. Et scriptura loquitur
de multis sanctis, quòd descenderunt ad infernum,
quemadmodũ hic de Iona, de Iob, de Iacobo patri=
archa, Gene. 36. Descendam ad filium meum lugēs
ad infernum. Ideo scriptura sancta uocabulo He=
bræo לַאֲדָמַת uidetur mihi ferè ea significatione
uti, ut agonem mortis, & angustias illius luctus, hoc

I N I O N A M

uocabulo significet. Secundum enim morientium il-
lorum affectus & sensum loquitur. Hi enim sic affe-
cti sunt, quasi in infernū & abyssum diuinæ iræ de-
scendant & absorbeantur, quanquam nullum cer-
tum locum sciant, quo ferantur, aut quo emigrent.
Quilibet moriens suum circumfert infernum, quā-
diu de sudat in his mortis angustijs, et in his iræ Dei
terroribus. In eum modum Petrus citat Psalm. 15.
de Christo. Act. 4. Non derelinques animam meam
in inferno, & dicit, Quē Deus suscitauit solutis do-
loribus mortis: & non obscurū est, quod Petrus ibi
per infernū uult dolores mortis & terrores signi-
ficare, quos Christus in cruce perpeffus est, cum ani-
mam in manum patris offerret. At sub extremum
diem, et post iudiciū extremum, aliter habebit cum
inferno. Ibi enim certus locus erit infernus, ubi im-
pij cruciabuntur in aeterna damnatione & ira te-
nebuntur conclusi. Sed hoc nunc satis est, parum re-
fert etiam si qui de inferno sic sentiant, ut pictores
aut alij haecenus poenas inferni depinxerunt. Gra-
uiores enim sunt & erunt, quā quisquā cogita-
tione ulla assequi aut omnino describere possit.

Proiecisti me in profundū cor-
dis maris, & flumina circundede-
runt me, omnes eleuationes tuas
& fluctus

& fluctus tui super me transierunt.

Hic nunc quasi ordine recenset quibus cogitationibus & affectibus conflictatus sit, antequam clamaret ad Dominum, cum adhuc eius fides luctaretur, & penè succumberet. Hic nunc obliuiscitur hominū qui proiecerāt eum in mare, & dicit de Deo, Tu proiecisti me (inquit) in profundum. Nam sic etiam in hora tentationis, sentit conscientia, quasi in tota creatura, & hac rerum uniuersitate omnia minima maxima nobis aduersentur, & quasi omnium rerum cōspectus nihil sit Deus, quā ira Dei, adeo ut etiam aridi & cadentis folij sybilum nobis tunc terrori sit, quemadmodum Moses Leuiti. 15. dicit. Hic uero perpende, quā mirabilis Deus sit in operibus iudicij. Nihil est uilius, nihil imbecillius, nihil abiectius quā aridum folium, quod in terra iacēs conculcatur, quod nedum uermiculi, sed & araneae arrodunt: & quod adeo uile est, ut Iob, cum maxime se uult extenuare corā Deo, arido folio se cōparet, quod à uento rapitur. Hoc tamen folio, cum uenerit hora, Deus potest uti instrumento ad incutiendum terrorem, armatis copijs, maximis & instructissimis exercitibus, & frangendam ac debilitandā, subito prosternendā omnem humanā potentiam, & omnes omnium uires adigendos in fugā, p̄ uesaciendos reges & tyrānos, qui aliās neq; minis

IN IONAM

Verbi Dei neq; pœnis terrêtur, sed tantū induratur. Num ergo egregie animosi sumus, ad minas dei oēs securi & ferrea ceruice sumus, et ad casum aridi folij, cum Deus uult, contremiscimus, & ad illius sybilū quasi horribilem tonitruī fragorem, concidimus, pauidi & dubij quo confugiamus, qui pauloante non unum cœlum, non unum Deum uidebamur expugnaturi? Quid ergo inflamur miseri, si hoc potest aridum solum, quid fluctus & tempestates maris effectura essent, de quibus hic Ionas? Quid extrema die fiet, cum Christus in maiestate uenturus est in incendio flāmæ cum angelis uirtutis suæ?

Sic etiam non dicit tantum, undæ & fluctus maris super me transierunt, sed omnes tuas undas & fluctus tuos induxisti super me: nam sic sensit in cōscientia, quasi totum mare cum omni immani illa uindandarum & fluctuum seruiret Deo, ad ulciscēdum peccatum Ionæ: quasi diceret, miser & tentatus Ionas sic pauebam, sic trepidabam, quasi omnia maria, & omnes aquæ in cœlo & terra, in me unū uolenter inundarent, quasi aliās nemo usquàm esset, qui sic ira Dei premeretur. Qui Deum cum omnibus creaturis aduersarium haberet præter me. Sic esse affectos, qui in maximis illis tentationibus cōstituti sunt, experientia citius discitur quàm exprimitur uerbis: nam hodie sæpe tentatos dicere audi-

mus,

mus, uidebar toto cœli & terræ pondere premi. Hæc nunc sunt ueri pauores, ueræq; angustia, quæ post hanc uitam erunt in omnibus impijs. Sic incipit hic in morte impiorum talis pavor & iudicium Dei, et durat in perpetuum. Hæc autem uerba propheta, sunt uerbis Psalm. 42. similia, qui etiam dicit, omnes fluctus tuos induxisti super me, et Ionas forsân hæc uerba hinc est mutuatus.

Et ego cogitabam, abiectus sum ab oculis tuis, non adiciam amplius ut uideam templum sanctum tuum.

Hic nunc conspectus pœnæ terret & percutit conscientiam, his uerbis indicat Ionas, quàm hoc uehementer momorderit, quod pœna uidebatur respondere peccato. Ipse enim fugerat à facie Domini, recusans prædicare in Ninive, hoc est peccatum, hæc est inobediëntia eius. Nunc mirabiliter in corde percussus, sentit se inuitum abijci à facie Domini in pœnam, quod pauloante fugit à facie Domini per inobediëntiam. Hic haud dubie cor Ionæ in maximo fuit pauore & angustia, dum similitudinem pœnæ sic apud se reputat: ecce tu fugisti à facie Domini, cum audire debebas, nunc satis longè abiectus & repulsus moeres à facie domini. Ibi simul acriter remordet conscientiam peccatum, & discruciat ac terret.

poena. Quòd autem abiectus sit à facie Domini, po-
 test duplici modo intelligi, primū corporaliter, sci-
 licet quòd cogitabat sibi nunc esse moriendum, &
 desperabat se unquàm rediturum in terram Israel,
 aut se unquàm coram Deo uersaturum, à quo fuge-
 rat, ut supra dixi. ut sic fugere à facie Domini, sit
 fugere ex terra Israel, in qua habitabat nomen Dei
 & erat cultus Dei. Quemadmodum sepe in lib. 2.
 Reg. dicitur, quòd Deus abiecerit Israelem à facie
 sua, & minatur quòd & Iuda à facie sua abiectu-
 rus sit, id est, extra terram, in qua nomen Dei est,
 & cultus Dei. Eam sententiā indicant uerba sequen-
 tia, cum subiicit, et non uisurus essem templum tuū,
 scilicet Hierosolymis. Quibus uerbis testatur se fu-
 isse in agone mortis, & planè se desperasse de ui-
 ta. Ibi fides Ionæ fuit in maxima lucta, ibi inuocatio-
 nis obliuio profunda, pauoris & desperationis de
 uita omnia plena. Neq; mirum, quis enim non despe-
 raret de uita tali casu, cum proiectus in mare, uen-
 tre ceti absorberetur. Secundo potest intelligi spiri-
 tualiter, quòd sensit se in corde à Deo perpetuo re-
 iectum, ut alios damnatos propter tantam inoedi-
 entiam. Quemadmodum & Dauid in Psal. 31. sepe
 dicit, Dixi in extasi, proiectus sum à facie oculorū
 tuorum. Et natura peccati est, ut afferat trepidati-
 onem horrendam conscientie, præsertim in agone
 mortis.

mortis. Et haud dubie hanc etiã sensit Ionas in corde suo, & sudauit satis in hac lucta, desperans penẽ de omni gratia & misericordia Dei, antequã scintillula quadam redaccenderetur fidei, & aude-
ret clamare, inuocare. Ibi haud dubie una hora ma-
gno numero animo illius obuersata sunt exẽpla ua-
ria irę diuinę, quomodo crudeles & horridas pœ-
nas Deus inflixerit peccatoribus, de Adam & Eua,
de Cayn, de diluuiõ, quomodo Deus semel totũ or-
bem perdidit, de Sodoma & Gomorra redactis in
cinerem. Hęc etiã est pars aliqua descripta pœ-
narum inferni, quę super omnes impios uentũ-
ra sunt. Et uides hic quid rei agatur cum impijs
post hanc uitam, nempe quod uersantur in sempi-
ternis angustijs, terroribus & pauoribus irę di-
uinę, in desperatione perpetua bonitatis Dei. In ta-
lem autem pauorem coniecit Ionam hoc periculũ,
quod foris imminebat, & ira Dei undiq; ugens, cũ
proijceretur in abyssum, & auferretur à fluctibus,
& obrueretur, ut supra dixit, & post latius subij-
cit, & dicit.

Circundederũt me aquę usq; ad animam, abyssus uallauit me, alga cooperuit caput meum.

Quomodo mihi uitam pollicerer, aut me solari

possem, undecunq; aquis tanquam medio mari ca-
ptus, & alga & arundine tectus. In litore enim ma-
ris, in ripis etiam fluminum & lacuum, alga, iunci,
& arundines solent succrescere. Qui ergo in mari
submersus perijt, iacet sub alga & iūco tectus, hoc
est, sub aquis in quibus crescit iuncus & arundo, &
quicquid in mari & ad mare est, illum sic submer-
sum sub se tegit, ut arundine, iuncis, imò ipso litore
tectus dici possit, ut statim sequitur.

Ad extrema montium descen- di, terræ uectes &c.

Nam omnia maria, omnes fluuij & torrentes,
eunt in uallibus inter montes, nam in planicie con-
sistere non possunt. Montium igitur fundamēta &
radices ipsum profundū & uadum profundissimū
sunt in mari, ubi radices montium coniunguntur &
in profundo coherent. Hæc autem omnia patheti-
cōs loquitur Ionas, pauore & affectu iam submer-
gentis, & iam aquis obruti, & tamen sursum de
ce cogitantis, aut affectibus eius qui submergētis ca-
sum apud se expendit. Nam ille si sursum cogitat,
uidet aquarum diluuiū coopertum, atq; utrinq; uis-
cos & terram. Hic igitur cum descendit in profun-
dum, uidetur sibi inter duos montes ad fundū usq;
descendere. Ibi terra eum quasi montibus, quasi ca-
themis

thenis conclusit, id est, ipse nō aliter cogitat, quā
 ibi sibi perpetuo manendū esse, & nunquā se esse
 euasurum. Nam quemadmodū is qui in turri est ca=
 ptiuus, cogitur in carcere manere, quia ianua & fe=
 nestræ clausæ sunt: ita is cogitur manere in mari,
 qui sic descendit in profundū, ibi terra, id est, mon=
 tes inter quos mare transit eum conclusit, & mari
 & undis sic clausit, ut euadere non possit. Hic ite=
 rum uides cuiusmodi cogitationibus conflictatus sit
 Ionas in uentre ceti, cibi & potus facile est oblitus.
 Tantū in meris certaminibus & uario agone mor=
 tis adeo est uersatus, ut de uita prorsus desperarit.
 Hic adhuc nullam audis inuocationem Dei.

**Sed tu uitam meam a perditio=
 neliberaſti, Domine deus meus.**

Hic nunc recreatur afflictus Ionas, & aliæ ueni=
 unt ei cogitationes. Hic haftenus tot arietibus op=
 pugnata, ac penē expugnata fides Ionæ, rursus se=
 erigit & audet sperare uictoriam. Hic nonnihil di=
 spellitur tenebræ temptationis, & affulget aliquid
 lucis, quasi dicat Ionas, Eo ipso momento quo uide=
 batur mihi in profundo absorptus, & iam omnia
 desperata erant, neq; ulla usquā spes apparebat
 uitæ aut salutis, ibi tu Deus meus mirabili potentia
 tua, iuxta misericordiæ tuæ amplitudinem eripui=
 H

I N I O N A M

sti dextera tua è faucibus mortis, & repente uer-
 sti luctum mihi in chorum, tenebras in uiuificam cõ
 solationis lucem. Sic enim habet res cum tentationi-
 bus, ut dicitur Germanico prouerbio, Quando ner-
 uus maxime tenditur, tunc disrumpitur. Ideo scri-
 ptura Deo tribuit titulum, adiutor in opportunita-
 tibus, in tentatiõe: quia cum maxime omnia sunt de-
 sperata, solet maxime consolari suos Deus. Quo-
 modo autem nobiscum agit Deus, quãdo sic conso-
 latur & iuuat, audi Ionam.

Cum deficeret anima mea, Do-
 mini recordatus sum.

Primum dat Deus gratiam & spiritũ, ut cor eri-
 gatur & animetur rursus, ut uiriliter repudiens co-
 gitationes iræ, possit apprehendere uerbum pro-
 missionis gratiæ & misericordiæ, uertere se à Deo
 iudice, & accurrere ad Deum patrem. At sic affici
 tempore tentationis non est in manu nostra, neque
 humanarum uirũ. Ionas hic dicit, quod anima eius
 cœperit desperare & pauere. Trepidatio igitur et
 pauor uirtutes sunt, & uires nostræ & liberi arbi-
 trij. Quod autẽ iam dulciter erga Deum afficitur,
 recordatur Domini sui, & incipit credere, hoc op-
 pus est, & lumen spiritus Dei. Cum autẽ hoc, post
 tenebras tentationis sequitur, ut cor incipiat recor-
 dari

dari misericordiarum Domini, ibi noua quaedam lux
splendescit, ibi cor rursus ad se redit, ut cum fidu-
cia audeat clamare ad Dominum, & tunc certo ex-
auditur. Hoc est quod Ionas primo uersu dicit, Cla-
maui ad Dominum & respondit mihi. Hic nunc re-
pente, quasi uno ictu, mors, ira Dei, peccatum, in-
fernus prosternuntur, & triumphat infracta, &
per omnia tandem uictrix fides Ionæ, promissioni
diuinæ innixa. Quod autem dicit, Oratio mea ascen-
dit ad te in templum sanctum tuum, iterum signifi-
cat templum in Hierusalem, in quo Deus tunc pro-
miserat se habitaturum. Populus enim Dei habuit
mandatum, ut nullibi adoraret, nisi ubi erat locus
electus & constitutus à Deo, quemadmodum Exo-
15. dicitur. Sic omnes qui in terra Israel, uel extra
terram adorabant, ex Dei præcepto cor & faciem
conuertebant uersus templum, ad locum ubi habita-
bat Dominus per uerbum suum. Hoc mādatum eis
erat, ne ullum alium Deum adorarent, quam illum
qui sedebat inter Cherubin, super propitiatorium.
Eò omnes dirigendæ erant orationes, quemadmo-
dum nos orationes & omnia dirigere debemus ad
Christum, in quo habitat Deus corporaliter, qui est
uerum propitiatorium.

Qui autem custodiunt uanità

H 3

tes, misericordiam derelinquūt.

In Hebræo est, Qui suam misericordiam derelinquunt. Quia autem hoc in Latino sonat quasi loquatur de misericordia hominum, quam frater fratri exhibeat, ideo omisi pronomem, suam, & posui tantum uocabulum misericordiam, ut eo clarius esset. Nam Ionas loquitur de Dei misericordia & bonitate, quæ nostra est, id est, nobis oblata, nobis promissa & donata, ut si ego dicerem de Christo, Qui suum Christum, suam fidem, suum Euangelium derelinquunt, cum tamen nullum illorum nostrum sit, sed Dei donantis: & tamen nostrum uocatur, quia nobis promissum, nobis oblatum est, ut nos gratis accipiamus. His uerbis autem Ionas acriter oburgat iusticiarios & hypocritas, qui non in misericordia Dei, sed in suis operibus confidunt. Nam illi quia ignorant quid sit fides, & rudes sunt rerum spiritualium, nec experti tentationis, quis usus sit fidei, & quam bona opera in tentatione non subsistant: interim quod in hac hypocrisis sunt, non magnificiunt gratiam, sua autem opera maximi pendunt. Ionas autem hic uocat uanitatem, id est, opera nostra nihil sunt, nihil ualent coram Deo, sed Deus uult ut credamus sola misericordia & gratuita bonitate, absque meritis & operibus nostris nos saluari &

uari &

uari & iustificari. Qui nunc confidunt in uanitate, eos frustra confidere dicit Ionas. Nam ipsorum fiducia & gloriatio in operibus, tam nihil est, quam ipsorum opera & illa uanitas in qua confidunt. His uerbis in primis Ionas perstringit populum Israel, qui sic gloriabatur in lege, & operibus legis confidens, ut non tantum derelinquerent Euangelium, misericordiam & gratiam in eo promissam, sed etiam hoc acerrime persequerentur, cum tamen illam misericordiam suam, agnoscere debebant, quibus praeter ceteris erat promissa.

Ego autem in uoce laudis imolabo tibi.

Hic iterum perstringit Iudeos cum suis sacrificijs & operibus, quasi diceret cum Psalm. 49. Ipsi offerunt tauros & hircos, quasi Deus delectetur his, & quasi nunc placeant Deo. Ego autem scio sacrificium laudis uere gratum sacrificium esse, ut laudetur, praedicetur eius misericordia, nobis indignis exhibita, ut Ionas hic dicit. Sectatores autem operum legis e contra potius à Deo uolunt laudari & praedicari, quasi suis operibus Deo gratum officium praestiterint, & benemeriti sint de Deo. Hanc autem cognitionem bonitatis & gratuita misericordiae, quanquam Ionas etiam ante habuit, tamen in illa ten-

Hic dicitur

tatione longè euasit eruditior & doctior, in uera schola crucis. Nunc enim non mediocri experiètia cognouit Deū non respicere opera, personas, neq; merita, qui gratis miseros peccatores è medio inferni reuocat & eripit. Paulò ante Ionas etiam laborabat hoc Iudaico affectu, quasi apud Deū esset $\pi\epsilon\sigma\sigma\omega\pi\omicron\lambda\eta\iota\acute{\alpha}$, quasi respiceret opera in primis populi Israel. Quanquàm ne nunc quidem perfecte illum affectum exiit. Quòd autè dicit, Vota mea soluiam, non est intelligendum quasi Ionas aliquid uouerit. Adhæc non meminit inter reliquas cogitationes quas habuit in ceto, ullius uoti, sed tantum suæ orationis. Ideo oportet et nos assuescieri scripturæ: nam ubi propheta in generali de uotis, & soluendis uotis loquuntur, et non exprimitur in specie aliquod peculiare uotum, ibi intelligendum est de laude, quod uotum est perpetuum omnium eorum qui populus Dei sunt. In tali laude uere uouemus nos non habituros alium Deum, quàm illum solum & unum. Ideo soluere hoc uotum nihil aliud est, quàm confiteri, laudare & prædicare, & sic uero et summo cultu uenerari Deum, ut Psal. 49. Immola Deo sacrificium laudis, & redde altissimo uota tua. Itè, Vota mea reddam Domino corâ omni populo. Sic Ionas etiã uult uota soluere, id est, laudare & prædicare Dominum, uti suum unicum & uerum Deū, ideo quòd adiutus sit.

Et Dominus dixit pisci, & ex-
puit Ionam.

Hoc est dictum, proprie ad morem scripturæ, quod
Deus omnia creet, faciat & operetur per Verbum.
Iohan. 1. Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso
factum est nihil. Psal. 33. Ipse dixit & facta sunt, ipse
mandauit & creata sunt. Sic cetus deuorare Ionam
potuit, at deuoratum ut reliquos cibos concoquere
non potuit. Et non tantum stomachus immanis be-
lue cessauit eatenus à naturali suo opere ad uerbum
Dei, sed & ipse cetus paulò ante infernus & nau-
fragium Ionæ, nunc nauis uice cogitur esse Ionæ, &
in uentre reuolueri ad littus, ac incolumem ibi reuo-
mere, imò quasi è nauis exponere uiuum, ut sic mera
maxima miracula operetur Deus in Ionæ. Hic nunc
omnia inuersa sunt: quod ante seruiuit ad mortem,
nunc est ad uitam, ibi cetus & draco ille qui paulò
ante instrumentum fuit mortis, nunc tabula & nauis
est qua Ionas emergit, & restituitur Ionas per
hanc beluam luci & uitæ, per quam paulò ante ui-
debatur bis mori. Adhæc mare quod nullum unquam
naufragium aut submersum restituit, ad uerbum Dei
cedit, & uiuum restituit hunc Israelitam, non mo-
do è medijs fluctibus, sed è uentre ceti, hic non am-
plius tenent conclusum retinacula terræ, non tegit

iuncus &c. Hoc totum scriptum est ad consolationem nostram, ad confirmandam fidem, ut discamus credere Deo, qui adeo potenter in manu & potestate habet uitam & mortem, ut quasi ludens alterum pro altero dare possit, alterum commutare cum altero, ut uult, & quando, et ubi uult. Nobis autem uidentur hæc inaudita, stupenda, impossibilia; ideo discamus credere Verbo, quod ubiq; nobis inculcat hanc Dei mirabilem potentiam.

CAP. III

Et factum est uerbum Domini ad Ionam secundo, dicens, Surge & uade in Niniuen ciuitatē mag.

Hoc ideo scriptum est, ut discamus nihil esse nobis faciendū sine uerbo et mandato Dei. Prima iustio, et primū mandatum erat iam irritum, per inobedientiam Ionæ. Ideo nisi Deus de nouo uocasset Ionam, nescisset Ionas an deberet predicare Niniuitis. Et forsā accidisset ei hoc quod Israelitis, Nume. 14. Qui cum iubente Domino nō pugnare uellent, postea cum sua sponte pugnarunt, deuicti